

7.
10.
1.
10.
1.
2.
3.
4.
10.
1.



2. DISSERTATIO
De
JURE
TABACI,

QUAM
In Illustri

Academia Hasso-Schaumburgica,

IN AUDITORIO ICTORUM,
Ad diem 4. Sept. M DCC.

Publico Eruditorum examini submitunt

PRÆSES

HENR. ERN. KESTNER,

D. & Prof. Jur. Ordin.

Et RESP.

JOHANNES CONRADUS KRANTZ;

Cassellanus.



RINTHELII,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.




23.
17
1700, 4 a

P. 254.

46





§ I.

DE Jure Tabaci Specimen aliquod paucis lineolis editurus, statim in frontispicio discursus notandum duxi, me non sive de usu sive de abusu Tabaci acturum, quippe quam materiem non ad forum juridicum, sed medicum potius pertinere existimo. Usus Tabaci nimium quantum evehit vir de re medica meritissimus *Dn. Bonteko tr. vom menschlichen Leben p. 3. §. 42. 43.* abusum docet vir eruditissimus *Dn. Albinus diss. de Tabaco & Jacobus Balde de abusu Tabaci. conf. Tappii Orat. de Tabaco.* Nos hanc controversiam ob rationem dictam relinquimus intactam, id tamen, si a delicatis rei hujus aestimatoribus non ægre feratur, adjicimus, ne quid nimis!

§. II. Quid Jus, quomodo vocabulum Juris sumatur, infiniti Juris commentatores abunde explicant, ut adeo in his desudare velle, esset tempus terere. Vocabulum Tabacum ab insula Tabacco vel Tabasco, in America prope insulam Virginiam sita, originem derivare videtur. Hispani primum Tabacum in Lusitaniam attulerunt. In

An-



Angliam primus dicitur ejus semen detulisse Franciscus Drack Angliæ seculi superioris Argonauta; Nicotiana appellatur a Joh. Nicotio Regio Gallorum consiliario, cujus beneficio an. 1559. & 60. Galliis innotuit. *Diether. in addit. ad spec. Speidel. sub verbo Toback*, ab aliis herba sancta, sacra ob mirandas virtutes, Panacea & Germanis Taback, Nicotian, *Indianisch Wunder-Kraut / heilige Kraut* dicitur.

§. III. Cum vero ex immotis Juris Naturæ principiis constet, Humano Generi in universam terram ejusque fructus jus competere, quippe quarum rerum alias nullus usus, & cum sine his genus humanum perire deberet, *Dn. Coccej. posit. Jur. Gent. 5.* Ita vix dubium est, ad hosce fructus quoque ipsum ipsius Tabaci usum referendum. An vero usus ejus impediri, & per leges restringi possit, ad nostrum scopum pertinere, & in quæstionem venire meretur. Si historiæ monumenta evolvamur, adinvenimus, quod Amurathes IV. Turcarum Tyrannus, ne quis subditorum Tabacū suseret, sub pæna capitis prohibuerit, quia prolis multitudinem impediret, Russorum Imperator an. 1634. usum ejus publico mandato prohibuit; refert etiam *Olearius in der Moskowitzschen Reise-Beschreibung l. 3. c. 6. p. 197.* Virgis cæsos, alas nasi dissectas, imo stygmate notatos fuisse Tabacifugas. Subjungitque Persæ Schach Abbas exemplum, qui ob violatum Tabaci interdictum militi & nasum & labia præscindi curavit, &





venditorem mandati ignarum una cum Tabaco comburi voluit. Rex Britanniae, videns multa ex Tabaci fumo oriri mala, id subditis suis dissuadere sequentibus allaboravit verbis: Tandem inquit, o cives, si quis pudor, rem insanam abjicite, ortam ex ignominia, receptam errore, frequentatam stultitia, unde & ira numinis accenditur, corporis sanitas atteritur, res familiaris arroditur, dignitas gentis senescit domi, vilescit foris: rem visu turpem, olfactu insuavem, cerebro noxiam, pulmonibus damnosam, & si dicere liceat, atri fumi nebulis tartareos vapores proxime repraesentantem. Nos qui non exemplis, sed jure in juridico foro pugnandum ducimus, affirmativam statuimus sententiam, quoniam principes pro salute Reipubl. etiam de rebus indifferentibus, uti Tabaci usus est, legem ferre possunt *c. 6. de R. I. in 6. l. 6. 7. de leg. l. 29. C. de testam. Lauterb. comp. jur. tit. de leg. excipimus actus necessitatis si scilicet instar medicinae Tabacum praescribatur.*

§. IV. Concesso Tabaci usu, certum est, hunc a summa potestate quo ad modum utendi temperari atque circumscribi posse, inde in rite compositis civitatibus prohibitum reperitur, ne suffitus hic Tabaci in locis periculosis & incongruis, puta in stabulo, horreo, vel etiam periculoso modo, veluti carbonibus candentibus, vel fune ardenti Kohlen so glüend / oder brennender Lunte / fiat, eoque pertinent saluberrimae illae ordinationes,



nes, ne Tabacum in sylvis fumetur. In Wäldern ist nicht zuzulassen / daß die Holzhauer Feuer zum Toback-sauffen / an welches sich fast heut zu Tage männiglich gewehnet / mitnehmen / denn bey den durren Zeiten das Feuer leicht den Most und die Blätter erreichen / und bald eine grosse Gluth angehen kan / wie die Erfahrung bezeuget. Nic. Meurer in Forst- und Jagt-Recht Part. I. pag. 3. Fürstliche Weimarische Forst-Ordnung art. 8. §. 9. Fürstl. Gothische Wald-Ordnung art. 10. §. 10. Bayerische Forst-Ordnung art. 32. Fürstl. Braunschweig. Lüneb. Forst-Ordnung cap. 3. num. 36. Fürstl. Marburg. Holz-Ordnung art. 33. Württenb. Forst-Ordnung P. 2. tit. Von Hirten und andern Feuer ic. Oldenb. in Itiner. jur. tit. 5. §. 440.

§. V. Cum rebus in & exportandis a summa potestate, vi supremi illius Juris, quod tenent, & inter regalia referri solet, certum aliquod vectigal imponi possit, dubium nullum est, talem legem usui Tabaci quoque præscribi posse, Klockius de arario lib. I. cap. 14. n. 60. & seqq. attestatur, e nudis fistulis ad usum Tabaci comparatis quinquaginta millia florenorum plus minusve quotannis in provincias unitas inferri, quantum igitur ex usu Tabaci?

§. VI. Gravior existit quæstio, an Tabacum ad hostes transvehere liceat. De qua Marquard. de jur. mercat. pag. 147. num. 33. Certum equidem est, si gentium jura consulamus, quod non tantum ipsæ res hostiles, sed etiam quæ ab extraneis ad-



advehuntur merces, quæ communi nomine contrabandæ dici consueverunt, hostibus auferri possint. Nam omne illud commercium extraneorum, quo hostis vires augentur, & ad præsentem belli statum faciunt, indictum est, quæ vero ad voluptatem hostium potius vergunt merces, illæ prohiberi nequeunt, hostem enim istæ magis enervant quam roborant, quod si vero usum Tabaci consideremus, ille militibus tam gratus, tam acceptus est, ut, etsi omnibus rebus fere destituantur, per aliquod dies eodem contenti sint, ex qua ratione manifeste constare credo, quod quibus victualia exportare ad hostes vel lege vel pacto interdicitur, illi nec etiam Tabacum illis adferre debent. *Conf. l. 2. pr. ibi ut ferrum & frumentum & sales ff. de publ. cap. 2. X. de Judæis cap. 1. extrav. comm: eod. Horn. disput. inaug. de merc. illic. cap. 4. thes. 9.*

§. VII. Penu legata, ea, quæ ad esum potumque spectant, venire, constat, quid de Tabaco sentiendum? Resp. respiciendum erit, an medicinæ causa adhibeatur, & non comprehendetur sub hoc legato, si vero ad sustentationem destinetur, uti milites aliique prætendunt, continebitur sub hoc legato *arg. l. 5. ff. de Penu legata.*

§. VIII. An Doctores, an consilarii Tabaci dentur nostrum non est inquirere, interim ex Harsdörffero Feltmannus de titul. honorum, pag. 69. inquit, Tituli sunt ambiciosorum hominum

num



num, quod Tabaci fumus illis cibo potuque gratior sit, reputantium.



Corollaria.

1. Primogenitus ante dignitatem Regiam natus, secundogenitum in dignitate regia natum in successione excludit
2. Liberis rebus publ. æque ac aliis summis principibus jus competit quascunque dignitates concedendi.
3. Legati a jurisdictione ac potestate ejus principis, ad quem missi, exempti non sunt, adeoque si ibi vel delinquant, vel contrahunt, ibi ceu in loco delicti vel contractus forum fortiuntur.
4. Si procurator sortem & usuras nomine Domini ex mutuo exigat, neque Domino restituat, debet usuras totius summæ, quam exegit.
5. Si solo pacto & voluntate partes velint usuras pro sorte habere, non desinunt usuræ usurarum, sed ea causa in anatocismum cadit.


6. In



6. In correali negotio plures sunt obligationes personarum, sed unum debitum.
7. Pactum reale correi prodest & nocet hæredi, non personale.
8. Divisio mutui in civile & mixtum fundamento caret.
9. Meretricem è lupanari extractam in uxorem ducere, accensetur operibus charitatis, diciturq; proficere in remissionem peccatorum *C. inter opera X. de spons.*
10. Justinian⁹ adulterii pænam in foemina mitigavit *Nov. 134. c. 10. nū id satis æquè? neg.*
11. Qui virginem consentientem abduxit matrimonii contrahendi causa, an incidat in pænam *l. un. C. de rapt. virg.?* affirm.
12. Quæritur an in regno consuetudo ista introducit possit, ne Rex aut ipse matrimonium contrahat, aut filiū filiamve elocet aliter, quam de consilio procerū? affirm.
13. An legitima sit prætensio Moscovitarum fæminarum querentium, a marito teste Oleario, serio se non amari propterea quod verberibus sæpius non excipiantur? neg.







X2615945

107





2. DISSERTATIO
De
JURE
TABACI,

QUAM
In Illustri
Academia Hasso-Schaumburgica,

IN AUDITORIO JCTORUM,
Ad diem 4. Sept. M DCC.
Publico Eruditorum examini submitunt

P. 254.
PRÆSES
HENR. ERN. KESTNER,

D. & Prof. Jur. Ordin.

Et RESP.
JOHANNES CONRADUS KRANTZ,
Cassellanus.



RINTHELII,
Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.



Pri 23.
17
1700, 4 a

